



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Confessio sacramentalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

ri posse, nec sub quibusuis similibus, vel dissimilibus gratiarum reuocationibus comprehendendi, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum suum, & validissimū statū restitutas, ac plenarie redintegratas esse, & censeri irritū quoque, & inane, si secus super his a quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Non obstantibus pramissis, ac cōstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autē quod Philippus, & presbyteri prefati huiusmodi indulto celebrandi ante diem parte utantur quia cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster Iesus Christus Dei filius, qui candor est lucis æternæ cōgruit, hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Quodque presentium transumptis et impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Rom. Curie, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadē prorsus fides ubiq; locorū adhibeatur, quæ ipsis presentibus originalibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ absolutionis, cōcessionis, indulti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud Sanctū Marcum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, Non. Septem. Pontificatus nostri anno secundo.

E. Pallotus Dat.

R. Bergerius.

Sequitur declaratio tenoris sequentis videlicet, a tergo Illustrissimis & Reuerēdissimi. Dominis Cardinalibus Congregationis Sacri Concilij Trid. pro presbyteris Cōgregationis Oratorij, intus vero Illustrissimi & Reuerēdissimi. Domini. Sixtus Papa Quintus fel. record. indulget Patribus Congregationis Oratorij, ut qui ex eis prauo examine ad audiēdas confessiones in ipsa vrbe a Vicario approbati fuerint, extra eandem Urbem absque alio examine de licentia tamen ordinariorum locorum confessiones libere audire valeant, sed quia in partibus precipue Neapolis ipsi in dubium reuocatur priuilegium prædictum sub prætextu quod non contineat præcisam derogationem, neque mentionem aliquam Concilij Trid. sess. 23. c. 15. quo cauetur, ne quis al. sive priorum diæcesanorum examine audeat confessiones audire; ideo prædicti presbyteri Congregationis Oratorij supplices desiderant super hoc responsum a Sacra Congregatione, An fuerit necessaria derogatio Sacri Conc. Trid. Congregatio Concilij censuit si huiusmodi priuilegium fuerit ut proponitur a Sede Apostolica concessum, utiq; omnino esse obseruandum, quamuis nullam derogationem, aut mentionem Conc. Trid. contineat.

Hieron. Card. Matthæius.

Circa facultatem absoluenti a casibus referuatis vigore dictorum priuilegiorum attendenda est hodie declaratio decreti, quo prohibetur absolutio a casibus referuatis quæ fuit relata supra in verbo Casus referuati.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

PRÆTER Summissas sciendum est, quod Die 20. Iunij anno a Natiuitate Domini Iesu Christi 1602. In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vni-

& vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali coram S. D. N. Clemente diuina prouidentia Papa viij. Proposita quaestione.

Virum liceat per literas seu internuncium, confessario absenti, peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere.

Sanctissimus Dominus noster auditis uotis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis, & Reuerendissi. Dominis Cardinalibus, contra hareticam prauitatem, generalibus Inquisitoribus mature ac diligenter considerata, hanc propositionem scilicet licere per literas, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio, publicis, priuatisue lectionibus, concionibus, & congresibus doceatur neue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur; quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiue tractauerit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directe seu indirecte, deduxerit, præter excommunicationem latae sententiæ quam ipso facto incurrat, & a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ maiori Pœnitentiario; nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolui, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subiaceat. Quintilianus Adrianus Not. publicata fuit Romæ die, 19. Iulii 1602.

COMMVNIO SACRA.

PRÆTER Summistas sciendum est, ad declarationem c. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remis. Eugenium 4. declarasse quod communicans in hebdomada sancta, vel infra octauam Paschæ satisfacit præcepto ecclesiæ die 8. Iulii. 446. Pontificatus sui anno 10. quam refert. Nauar. in man. confess. c. 21. nume. 45. quæ non est in Bullario, sed eam inuenies per extensum impressam in priuilegijs Minimorum fol. 139.

CONGREGATIONES ILLVSTRISSIMORVM DD. *Cardinalium & earum facultates.*

Sixti Pape Quinti Constitutio, qua Congregationes quindecim certo S. R. E. Cardinalium numero constituantur ut Romana Curie status ecclesiastici, ac vniuersæ Reipublicæ Christianæ negotia & causæ quæcunque commodius audiantur, & facilius expediantur proprie denique vniuscuiusque Congregationis functiones, & facultates explicantur.

Sixtus episcopus seruus, seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Immensa æterni Dei omnium opifex sapientiaa sine vsque ad finem fortiter attingens, sic cuncta inter se admirabili concordia nexu copulauit, suauiter-
Q 2 que